



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*  
(*TEMPLUM SS. MI CORDIS IESU*)\*

TEMPLUM SS. MI CORDIS IESU AD CASTRUM PRAETORIUM DIACONIA FIT.

Almae Urbis templa, quae vel antiquitate excellenter artisque praestantia vel illustrium sanctorumque virorum memoria, consueverunt Romani Pontifices singularibus privilegiis atque honoribus afficere. In quorum numero illud est profecto referendum quod S. Ioannes Bosco, Salesianorum quos appellant pater, ad Castrum Praetorium iussu auspicioque Leonis XIII im. me. Decessoris Nostri exstruendum curavit, ut simul totius Italicae gentis, stipem munifice conferentis, erga Sacratissimum Iesu Christi Cor pia significatio esset atque declaratio, simul christianorum fidelium illam Urbis regionem colentium religionem foveret. Sacram enim hanc aedem, affabre perfectam, Decessor Noster Benedictus XV, Apostolicis datis Litteris, ad Basilicae Minoris dignitatem evexit, in eaque exstans ibique venerata effigies Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis rite a Canonicis patriarchalis Basilicae S. Petri aurea corona redimita est. Volentes propterea in idem templum, sodalium Societatis S. Francisci Salesii industria atque pietate fulgens, Nostram quoque significare voluntatem, censuimus illud ad diaconiae honorem hodie attollere. De apostolica igitur et suprema potestate Nostra, templum SS. mi Cordis Iesu ad Castrum Praetorium ad *diaconiae* gradum et dignitatem evehimus, omnibus datis iuribus et privilegiis, quibus ceterae in Urbe diaconiae vel iure vel consuetudine fruuntur. Volumus praeterea ut hae Nostrae sub plumbo Litterae, eius cura qui ad praesens sacra e ei aedi moderatur, coram clero atque populo perlegantur, cum primus post eas acceptas dies festus de praecepto celebrabitur. Cuius negotii, postquam perfectum fuerit, congrua documenta exarentur ad Sacramque Congregationem Consistorialem cito mittantur, de more signata sigilloque impressa.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere puterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel

scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.*

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis</p>
---	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Franciscus H. Ferretti, *Protonot. Apost. Decanus*

Ioannes Calleri, *Proton.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 485-486 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana